

Festiva et læta, primo, quia indicat, se velut Deum, potestatem habere ponendi vitam cum vult, et resurændi cum vult, et nunc sponte eam ponere; siquidem clamans exspirat, miraculose utique ex divinis suis viribus: quia si purus homo esset, sic exhaustus viribus in morte clamare non posset. Hinc enim centurio videns quod sic clamans exspirasset, agnovit ipsum esse Deum. Monstrat ergo se hic Samsone, qui columnas crucis amplectens vires adhuc habeat ad perdendos Judæos, si vellet; deinde ad movendum actu cælum et terram. Secundo, quia ostendit se victorem et triumphatorem mortis et dolorum omnium superatorem; quo modo, Ps. XXIX. canit per prophetam: *Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitiā, ut cantet tibi gloria mea, et non compungar.* Jam non poterant ipsi amplius nocere Judæi, nec mors eum configere: sed contra ipse Judæos sibi veluti judici subiecit, et morti insultat: *Ero mors tua, o mors, etc.* Tertio, quia vult terræ dæmones, jam a se devictos, sicut leo suo rugitu bestias. Sic Josue tubarum strepitu et lagenarum confractioe fugavit Madianitas, Jos. VII. Clamor Christi quasi tuba fuit: caro ejus emoriens lagena confracta. Sunt certe, qui putent dæmones magno numero adfuisse crucifixo, ut eum vel observarent, vel tentarent, uti Eusebius, l. X. demonstrat. c. ult. Cætera animalia pleraque musica delectantur, tigris sola ad tympanorum pulsum in rabiem accenditur, et seipsum dilacerare conatur, teste Plut. in conjugalibus præceptis. Hoc verbo Christi, passioni suæ finem imponentis, recreati sunt in cælo angeli, et in terra homines ab eo jam redempti: soli dæmones sunt perterriti et in rabiem acti, seipsis quodammodo laniantes, quod suo molimine Christum cernerent victorem, se vero devictos et præda sua spoliatos.

II. Textus est: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Mira est hæc oratio, quia cum prius aliis providisset inimicis veniam, latroni paradisi, matri filium, Joanni matrem dedisset; sibi omnium postremo providet, et animam Patri commendat; quia nimirum venerat vitam suam pro nobis positurus: quasi animas nostras pluris aestimans, quam propriam. Quod enim pecunia mea emo, magis amo, quam pecuniam meam.

Commendat autem Patri spiritum suum, primo, propter ipsum Patrem, ac primo, ut offerat ei spiritum seu vitam suam tamquam pretium redemptionis nostræ, vitam pro nobis ponens. Unde Græc. habetur verbum *depono*, Arabice *pono animam meam*. Alludit ergo ad id, Isa. LIII.

Si posuerit pro peccato, (Hebr. *si posuerit peccatum*, i. e. hostiam pro peccato) *animam suam, videbit semen longævum*. Hic ergo ponit se velut hostiam jam mactatam in manus Patris, quasi in altare, pro peccatoribus. Quale pretium auditores nonne majus multo quam res empta? Secundo, ut hoc ipsum opus redemptionis nostræ a se patratum Patri acceptum ferat tamquam primo principio et fonti bonorum omnium æque ac fini, quemadmodum et in aliis suis operibus gloriam omnem ad Patrem retulit, omniaque sua illi adscripsit, uti faciunt bene morati filii. Apud Romanos strenui victores, qui triumphali pompa urbem ingrediebantur, recta ad Capitolium pergebant, ibique a curru triumphali Jovi gratias agebant, quod per eorum manus rem Romanam bene gessisset, eamque ut servaret et protegeret, rogabant, hostias quoque ipsi immolabant, lib. X. antiq. Rom. c. XXIX. Christus nunc curru crucis idem Patri suo facit, seipsum immolans hostiam.

Secundo, propter se primo, ut demonstret Judæis, sibi spiritum e corpore expulsam nequam interimere, sed ad tempus tantum breve deponi in securissimo loco, in manibus scilicet Patris sui, a quo mox eum majori gloria recepturus esset juxta prophetiam, Ps. XXIX. *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delocasti inimicos meos super me: Domine, Deus meus clamavi ad te, et servasti me. Domine, educasti ab inferno animam meam, salvasti me a descendantibus in lacum.* Et infra: *Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitiā*, quasi dicat, sicut sartor conscidisti quidem velut pannum pretiosum corpus meum, sed eum accepisti in manus tuas, et confecisti mihi inde pretiosorem vestem ac pulchriorem. Secundo, ut spiritum suum in condigno et debito loco deponeret, siquidem thesauri (II. Macch. III.) et vasa sacra in templis asservantur. Si enim corpus ejus immaculatum nova sindone involvendum, novo in sepulcro ponendum erat, spiritus ejus purissimis etiam in manibus deponendus erat: unde eum acceperat.

Tertio, propter nos primo, ut cum spiritu suo una etiam nos, quod ad tempus desereret, Patri commendaret, ut S. Athanasius et alii, *qui enim adhæret Deo, unus spiritus est*, I. Tim. VI. quasi caput loquatur pro membris. Sic oravit, Joan. XVII. discedens e cœnaculo ad passionem in montem Oliveti: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi*. Bonus nimirum pastor, coactus discedere paululum ab ovibus suis, commendat eos summo pastori, Patri suo: sicut et pater peregre proficiscens commendat amico

filios suos. Secundo, ne quis etiam justus et sanctus putet se securum in articulo mortis, ubi dæmon homini maxime insidiatur, quemadmodum volunt aliqui eum morienti Christo adfuisse super brachio crucis sinistro, observantem eum, uti ven. Beda scribit. Quare unusquisque videat, cui tunc spiritum commendet. Similiter eum animæ, ab insidiis diaboli. Unde multi sancti eo versiculo in extremo spiritu usi, uti Sanctus Nicolaus, Sanctus Basilius, Sanctus Ludovicus rex et imprimis Sanctus Stephanus: *Domine, suscipe spiritum meum*. Testamur enim animam nostram a Deo acceptam immortalem, eidem consignandam usque ad resurrectionem, ejus protectioni commendandam. Unde Ecclesia quotidie ad finem completorii hoc versiculo componit quasi ad lectum filios suos; quem et innocentes pueri canunt, ut similes ei simus.

III. Mensura hujus cantus appellari potest capituli inclinatio, cum qua immediate post dicta verba tradidit spiritum. Per hanc vero innuit creaturis primo, ut ejus divinitatem testentur variis prodigiis, et ignominiam crucis gloria miraculorum compenset. Secundo, ut totam mundi machina sua creatori condoleat. Tertio, ut Judæorum scelus coarguat, quasi ipsi jam indigni sunt creaturarum ministerio.

Vidimus magistrum nostrum e crucis cathedra docentem, non, quas docent artium magistri, humanas, sed doctrinas plane divinas. Superest nunc, ut nos velut gnavi discipuli traditas nobis lectiones alto pectori inscribamur, ipsi quoque doctori nostro non modo gratias condignas agamus, sed et mercedem persolvamus, quam petit per sapientem, Prov. XXIII. *Præbe, fili mi, cor tuum mihi*.

CONCIO III.

CHRISTUS SPINIS CORONATUS.

§ I. VELUT SPONSUS.

I. Sponsus splendide vestitur. — II. Sponsus corona adornatur. — III. Sponsus honoratur aureo annulo, et muneribus. — IV. Congratulatione amicorum condecoratur sponsus. — V. Sponso datur convivium magnificentum. — VI. Musica adhibetur sponsi convivio. — VII. Sponso adjungitur sponsa.

THEMA.

Egredimini filie Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis suæ. Cant. III.

Quando sponsus aliquis nobilis cum nuptiali
II. PARS HIEMALIS.

pompa prodit in publicum, solent passim e domibus confluere turbæ ad spectaculum id videndum. Sponsus Ecclesiæ esse Christum Dominum, testatur imprimis Joann. Bapt. loquens de Christo, Jo. III. *Qui habet sponsam, sponsus est*, Christus scilicet ejus se amicum vocat. Deinde S. Paulus, II. Cor. XI. *Despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo*. Cum enim Dei Filius in miserum genus humanum conjecisset oculos, considerans non quale id jam esset, sed quale effici posset, id amare cepit, et ut ibi desponsaret, regni sui consortem faceret, de cælo descendit, quo amorem ejus sibi conciliaret. Verum a sponsa sua synagoga Judaica male sane acceptus et foede coronatus est, ut videbimus.

I. Solet sponsus in die desponsationis suæ abjectis obsoletis vestibus, novis ac festivis indui quam splendidissime a parentibus. At videte sponsus Christum, quomodo vestiatur a noverca sua. Exiit vestem suam dilectam, utpote a matre (ut sentiunt multi) sibi factam: miraculosa, quia cum ipso crevit: sanctissima, quia per ejus tactum miracula facta: et induitur coccinea, vili et ludrica; (quia purpuram referebat fictam) accepta sorte a gregario milite, sordida proinde et foetente; et hoc in atrio præsidis. En tibi Joseph innocentissimum, exspoliatum veste sua polymita. Ille deprecatur fratres suos cum lacrymis utique, ne spoliarent eum veste sua, tam dilectam, Gen. XLII. Et quis dolor, putatis, fuit Christo, spoliari veste sua materna? Qui omnes homines et viventia cuncta vestit, ipse jam nudatur. Sed magis doluit Christus vestiri, et cingi se coccino, id est, hypocritis, qui purpura esse volunt, et coccinum sunt.

II. Corona de floribus et rosis, vel auro et gemmis facta adornatur sponsus, tamquam rex familiæ et triumphator libidinis, a qua servavit sese. At Christus, qui Rex regum est et se per omnia immaculatum semper servavit sponsæ suæ, licet meretriculæ, coronatur a noverca sua spinis acutissimis. Quis unquam vidit vel audivit quempiam coronari spinis? Olim quidem corona de frondibus, tamquam ridicularium donum, utpote sterile quibusdam dari solita, teste Basilio Seleuc. orat. XXVII. At non de spinis. Quid hæc non solum sterilius, sed etiam magis ridiculum ignominiosum, horridum, dolorosum? Quis nescit quantum vel una cruciet spina, etiam extracta? Hinc David remorsum conscientiæ suæ comparans spinæ, Ps. XXXIV. ait: *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina, seu ut Hieronymus legit, dum infigitur mihi spina*. Quid facient tot spinæ, tam acutæ et

longæ, quales illæ fuerunt? Et quia spinas vel tangere horremus, videtur synagoga coronare illum spinis voluisse, ut velut abominabilis et immundus a nemine tangeretur. Nil vilius etiam spinis; unde patet, si quid ignominiosius esset, id eo pro corona dandum fuisse. Ecce Domine, vinea tua, quam plantasti tanto labore, ornasti tanto decore, quales tibi fructus ferat? Expectasti ut faceret *ivas, et fecit labruscas*, h. e. acerbis et immataras uvas, Isa. V. Septuaginta vertunt, *spinas*. Quid vero istæ spinæ, nisi spinosi Judæi, peccatis pleni? Quid nisi ingrati etiam Christiani? Hi longe magis doluerunt Christo, quam spinæ naturales.

III. Honoratur aureo annulo a sponsa, et datur muneribus ab amicis ad nuptias invitatis, offerentur pocula aurea et argentea affabre facta, aliaque dona, monetis aureis, argenteis, et thesauris depromptis implentur ejus manus. Quid muneris datum Christo? Arundo levis et inanis, qua insultetur ejus paupertati, quasi non sit satis pauperi sponso nil tribuere, sed oporteat etiam illudere ejus egestati. Ita nimirum sponsa Judaica exprobrat sponso suo inopiam. At nonne propter vos (o Judæi) *Christus egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis?* II. Cor. VIII. Nonne in solatium pauperum, ut omnibus sui copiam faceret, et ut viam securiorem ad parandas vobis veras et æternas opes ostenderet, pauper esse voluit, cum nullius indigeret? Non legistis illud Ecclesiastici IV. *Ne exasperes pauperem in inopia sua, cor inopis ne afflixeris*. Sed non tam afflixit Christum vacua arundo, quam inanis et vacua operibus synagoga, quæ velut arundo vacua sonum quidem edebat: *Nos Abrahamæ filii sumus, sed opera Abrahamæ non faciebat*. Quæ arundinis instar levi vento agitata, prius ei acclamabat: *Benedictus qui venit rex*: nunc pro sceptro regio arundinem in manus porrigit. Utinam nulli sint inter Christianos, qui synagogam imitentur.

IV. Multa et perhonorifica congratulatione amicorum condecoratur: primus ei in templo et triclinio locus datur, et honor ab omnibus exhibetur. Sed quid sponso Ecclesiæ Christo? Saxo aut sedi altiori, quasi ludicro throno (ita scribit Clemens Alexand. I. II. pædag. c. VIII.) imponitur, ut omnibus conspicuus fiat, omnium lusus; deinde genu flexo non utroque, sed uno, derisorie illuditur et salutatur velut rex fictus: *Ave rex Judæorum*: Gr. *gaude*, Syriace: *Pax tibi*. Sed o insani, quæ causa gaudii Christo in tanta confusione et afflictione? Quæ pax ei potest esse, quem tot vexationibus exagitatis? Non legistis id Eccl. VII. *Non irrideas hominem in amari-*

tudine animæ. Damocli illi in mensa Dionys. regis sedenti acclamatum: *Gaude, gaude*: sed quomodo gaudium videns sibi imminere gladium? Christus non impendentibus sed præsentibus oneratur calamitatibus, et per locum acclamatur ei: *Gaude, gaude?* Sed nimirum noverca synagoga invitat ad Christi nuptias, non ejus amicos, sed cohortem militum, qui ex miseris et afflictionibus hominum gaudium et delectationem capiunt, velut homines sævi ac barbari, imo verius canes, qui in prostratos sæviunt, de quibus, Ps. XXI. *quæritur Dom. Circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obsedit me*.

V. Apparatur sponso convivium nuptiale, magnificentum. Christo quale? Pro cibis exhibentur opprobria, alapæ et colaphi, pro vino sputa horrida ac fœtida, a nequissimis coquis et pincernis parata. De hoc vaticinatus et lamentatus est Jer. Thren. III. *dicens: Dabit percutientibus se maxillam, saturabitur opprobriis*, d. q. colaphi et alapæ quasi cibi ejus erunt, quibus ita onerabitur, ut plane ad satietatem usque implendus sit. Cibum, quem desiderabat Christus, animarum salus erat; at isti dant ei pro cibo opprobria, sputa, alapas, non solum ad gustandum, sed usque ad saturitatem. Cum enim cohors minimum faciat 500 milites, cogita jam et collige numerum alaparum, sputorum et probrorum. Quis unquam tale convivium vidit? Heliogabalus ille pictos cibos convivis apposuit, et famelicos postea dimisit: at verbera et sputa pro cibo non dedit. Quid mirum ergo si Christus in monte Oliveti prævidens calicem passionis, sputis, colaphis et probis plenum, horrore concussus oravit: *Pater si fieri potest, transeat a me calix iste?*

VI. Ut melius sapiat convivium: pulsantur interim cymbala et tympana, resonantque fides et cantilenæ. Sponso nostro Christo pulsatur caput, spinis confixum, arundine, et infiguntur ei aculei, ut plane cranium penetrent, et usque ad cerebrum pertingant atque ut S. Birgitta, lib. IV. revelat. cap. LXX. scribit, sanguinis rivuli de capite per oculos, aures, genas, barbamque defluerent, ita ut matrem de cruce, nisi vi compressis ciliis, videre non posset. Hoc in spiritu prævidens, etiam in persona Christi quæritur David, Ps. LXVIII. *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt*. Quid addiderunt? Non potuit exprimere cruciatum, quem addiderunt: scilicet ictus prævalidos, quibus ejus capiti infixerunt spinas, per se alioquin acerrime cruciantes. Quis nescit quam refugiant ii, qui in aliquo membro cruciantur vel in eo tangi ne-

dum percuti aut scindi, v. g. podærici aut ulcerosi, cumque caput plenum sit nervis, qui per totum corpus descendunt, necessario una cum capite totum corpus dolore fuit penetratum ac concussum.

VII. Sponsa ipsi adducitur et lateri ejus sociatur, ut sibi mutuo consensu et fœdere jungantur. At Christus spinis jam coronatus cum produceretur ad sponsam, h. e. ad Judæos a Pilato dicente: *Ecce rex vester*, quid audit a sponsa sua? *Tolle, tolle, crucifige, crucifige eum, non habemus regem nisi Cæsarem*. En tibi perfidam illam Dalilam, cujus amore tractus cœlestis Samson descendit in vallem Sorec, ut eam sibi desponderet; in cujus etiam sinu deposuit caput suum ac dormit super genua ejus: en postquam fœdum in modum detondit sponsum suum, spinis et sanguine operiendo ejus capillos, jam ipsum a se repellit ac repudiat, tradendo in manus gentilium, ut orbatus utroque oculo ac lumine suo, patre scilicet cœlesti (a quo derelictus fuit) et in matre terrestri (a qua abstractus) subjiciat cervicem molæ crucis bajulandæ sibi ad Calvariæ montem. Hoc autem facit sponso, qui de cœlo propter ipsam descendit in vallem Sorec, in vallem lacrymarum, tractus amore ejus, ut eam sibi in sponsam et consortem regni sui assumeret. *Dalilan*, inquam, h. e. *pauperem* (hoc enim sonat Dalila) et *mendicam*, eamque gentilem, in idololatriæ cœcitate oberrantem. Ac quemadmodum Dalila non semel, sed quater repulit a se Samsonem, ut traderet eum Philisthæis, ita et Judæi non semel sed sæpius succlamant: *Tolle, tolle, crucifige, crucifige eum*. Et quoniam fieri poterat, ut tam ingrati et perfidam sponsam non repudiaret Christus? Non illico disperderet? Sed nimirum expectabat conversionem sponsæ suæ, sperans ejus odium mutandum aliquando in amorem: quantumvis nosset paucos tales inter Judæos fore. Sustinuit ergo hoc potissimum et quidem libentissime propter nos Christianos, ingenti numero credituros, qui tunc quidem adhuc gentiles, et in cohorte militum ethnicorum constituti Christum sponsum nostrum tam indigne tractabamus, eique causam hæc patiendi dederamus. Superest nunc Christiani, ut propter has injurias per nos sponso nostro irrogatas, imprimis toto corde doleamus. Quam doluit sponsa B. Alexii, ubi jam mortuum agnovit sponsum, quem in domo paterna ignotum contemptui habuit, aut certe habere permisit? «Lugubri enim veste induta currens procidit super venerandum sponsi sui corpus: Heu mihi inquam, mi turtur solitudinis amans, tot annos propter te vixi solitaria, et hodie

vidua relinquo, nec habeo amplius, quem morer, quem expectem.» I. Metaphrastes, in ejus vita, apud Sur. 17. Jul. Quanto vero nobilior, quanto et melior sponsus noster Christus quando igitur calidioribus lacrymis ipsi parentemus, quem peccatis nostris in tantam calamitatem et infamiam impegimus!

Deinde injurias et odium convertamus in obsequia et amorem, etc.

§ II. CHRISTUS CORONATUR UT BAPTIZATUS.

I. Baptizatur infans ob peccatum originale. — II. Baptizandus aqua tingitur. — III. Baptizandus totus immergitur aquis ter. — IV. Baptizato adhibentur coronæ, et aliæ cæremoniæ. — V. Baptizando nomen imponitur. — VI. Habent hunc baptismum semper præ oculis.

Non solum sponsi solent coronis condecorari, ut diximus, sed et ii, qui baptizantur, ad hæc reges et victores et victimæ, imo et symposiarchæ, ut videbimus. Omnibus his titulis corona Christo decreta fuit. De corona baptismi testimonium habemus Severi Alexandri, lib. de bapt. *Elevant*, inquit, *baptizatos ad altare, eisque dant mysteria, eucharistiam, et sertis eos coronat sacerdotes*. Idem testatur S. Chrysostomus, hom. ad baptizat. Cyrillus Hyerosol. in procatech. S. Gregorius Nazianz. orat. XXIII. et XL. Jam vero Christus passionem suam appellat *baptismum*, Marc. X. *Potestis baptismum, quo ego baptizor, baptizari?* Et Luc. XII. *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coartor usque dum perficiatur?* Ergo si Salvator in passione baptizatus fuit, coronam gestare debuit. Et gestavit certe, non coronam gloriæ, sed coronam ignominie et confusionis, uti videbimus.

I. Quæ baptizatur innocens, quales sunt infantes, non ob suum actuale, sed ob originale adeoque alienum peccatum baptizatur. Christus autem non modo non actuale, sed nec originale peccatum habuit; ergo non pro suo, sed pro alienis peccatis baptismum hunc suscepit, uti verissimum juxta id Ps. LXVIII. *Quæ non rapuit, tunc exolvebam*. Et siquidem pœna correspondere solet culpæ, id in ea etiam coronatione expressum. Quia enim parentes nostri candidissimam innocentie vestem perdididerunt, ideo Christus coccinea, sanguinem referente, imo revera sanguine perfusa indutus est. Videbatur illis lignum vetitum pulchrum visu, ideo coronatur Christus ligno, quod horridum erat visu, spinis scilicet. Quia illi manum extenderunt ad vetitum lignum, ideo Christus arundinem in manu ges-

tavit. Quia pomum eis visum erat bonum ad vescendum, ideo os Christi sputis repletum fuit et alapis. Quia Dei similitudinem appetierunt, ideo Christus ficta genuflexione, velut Deus fictius, adoratus est. Denique quod Adæ dictum: *Spinæ et tribulos germinabit tibi terra*, hoc multo verius sensit in se Christus, et quidem in capite suo, quod non sentit Adam.

II. Baptizandus aqua tingitur, Christus sanguine, et quidem filii Dei. Quia enim peccatum infinitatem aliquam contrahit a bono infinito offenso, aqua expiari non potuit, sed ea nimirum re, quæ homini est pretiosissima, adeoque sanguine et vita, præ qua homo carius nihil habet, debuit. Unde apost. ad Hebr. IX. *Sine sanguinis effusione non fit remissio*. Et quia sanguis etiam humanus nullam ad peccati gravitatem habet proportionem, debuit infinita persona, Dei scilicet Filius, sanguinem suum dare, cum justitiæ rigori voluit satisfacere. En tibi lepram illam incurabilem, peccatum videlicet, quæ non sanguine puri hominis, sed sanguine hominis Dei curanda fuit. Quam ob causam Isaia LIII. dicitur: *Nos reputavimus eum quasi leprosum*.

III. Baptizandus toto corpore, (juxta antiquam consuetudinem) immergitur in aquam, et quidem trina demersione. Idem Christo factum. Totus enim et toto corpore immersus est in dolores, ut nullum fere ejus membrum doloris esset expers. Cervix ejus spinis perfossa est; oculi ejus ringentia canum ora circum se vident: aures illusiones audiunt et illud: *Ave rex*: nares fetorem sputorem sentiunt: os silentio premittur: genæ alapis verberantur: manus arundine turbantur: corpus ficta purpura. Hinc Ps. LXIII. ait: *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infæus sum in limo profundi, et non est substantia. Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me*. Et hoc quidem trina vice in montem Oliveti, cum sanguineo sudore perfusus fuit. Secundo, in flagellatione totoque corpore eruentatus. Sed quia caput ibi non videbatur sanguine tinctum, ideo tertio, corona spinea ipsum quoque coronatur, ut rursus sanguine e capite defluente per corpus baptizetur.

IV. Huic accedunt et aliæ cæremonia. Baptizandus enim sputo tangitur in auribus: Christus in coronatione sua consputus est. Baptizatus veste alba induitur: Christus primum alba ab Herode, postea a cohorte militum coccinea indutus est. Baptizatus cereum ardentem accepit in manum: Christo datur arundo. Baptizato corona de floribus imponitur: Christo corona de spinis. Baptizatus saltem Christus falsam irri-

sionem devorare debet: *Ave rex Judæorum*. Ungitur baptizatus oleo: Christus sanguine suo per caput defluente: *Sicut unguento in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus*.

V. In baptismo nomen imponitur: Christo vero quale? *Ecce homo*, inquit Pilatus, dum Christum spinis coronatum populo ostendit. Verum dic Pilate: Qualis homo? Videtur sane Pilatus, quia Christus adeo deformatus erat, explicare non potuisse, qualis homo esset: sed quasi in dubium revocare, homone esset an non. Quem enim appellaret? An Dei Filium? At ne hominis speciem habebat. An Filium hominis? At tigridem potius referebat aut pantheram, sanguineis maculis respersam. An Jesum et Salvatorem? At qui salvator appelletur, qui ipse tam afflictus est? An Nazarenum et floridum? At qui quales flores vulnera? An regem Judæorum? Atqui fabula potius et ludibrium regis erat. Denique Christus per proph. Ps. XXI. negat se in eo statu hominis speciem habuisse: *Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis*. Olim cum pictoria ars adhuc nova et rudis esset, adscribebant pictores ad ea quæ pingebant: *Hoc est bos, illud equus, hoc arbor*, ut refert Ælianus, l. X. var. hist. c. X. Christus tam deformiter a Pilato ejusque cohorte pictus fuit, ut addere debuisset: *Ecce homo*. Videte et obstupescite, quousque se demiserit Dei Filius; eoque scilicet, et jam nec hominis speciem haberet, aut nomen mereretur: sed opprobrium fieret hominum. Vidit hoc in spiritu, et lamentatus est Isaia, c. LIII. *Non est species ei neque decor. Et vidimus eum, et non erat aspectus*.

VI. Denique, Christus hunc baptismum suum toto vitæ tempore præ oculis semper habuit, clare et perspicue secundum omnes circumstantias, proinde non passionis tantum tempore, sed per totam vitam ejus memoria cruciabatur. Hinc Marci X. ascendens Jerosolymam ad passionem suam ait: *Potestis baptismo, quo ego baptizor, baptizari? Jam cum prius, quam reipsa pateretur, patiebatur in mente providens ac sentiens acriter imminem sibi passionem*. Hinc toties in evangelio crucis, calicis et baptismi sui mentionem facit, interim absque dubio toties quasi aqua ferventissima perfusus, et in agone positus. Unde quod prævaricatoribus legis olim Deus minatus est: *Erit vita tua quasi pendens ante te*, Deut. XXVIII. vere etiam de Christo dici queat; videbatur enim sibi continuo in cruce quasi jam suspensus esse et animam agere, quod indicat Tertullianus, qui sic legit: *Erit vita tua pendens in ligno, ante oculos tuos, et*

non credes vitæ tuæ. Saul rex fortissimus, quando audiit a Samuele suscitato: *Cras tu et filii tui mecum eritis*, timore mortis sibi prædictæ consternatus, *cecidit porrectus in terram*, omnibus destitutus viribus, I. Reg. XXV. Christus vero in Oliveti monte ex prævisione mortis suæ, *proci-dit in faciem suam*, et sanguinem sudavit. Interea tamen vehementissime desiderabat hunc baptismum sibi accelerari. Hinc enim desiderio illius accensus exclamat: *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coactor, donec perficiatur!* Tametsi enim atrocissima sibi ferenda prævidebat, tanto nihilominus amore salutis nostræ flagrabat, ut hujus comparandæ gratia, pœnas illas libenter et avide susciperet. Nimirum hic est ille amoris incendium, de quo Cant. ult. dicitur: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*. Hic est ille excessus, de quo in transfiguratione Christi loquebantur Moyses et Elias cum eo, excessus nimirum amoris, quo se propter nos non ablueret tantum aquis tormentorum, sed immergere totum voluit.

§ III. CORONATUR UT VICTOR.

I. Christus victor. — II. Commeruit plures coronas. — III. Accepit a synagoga spineam.

Nihil vulgo notius est, quam victores strenuos condecorari variis coronis. Quare hoc etiam titulo Servatorem nostrum fuisse coronatum asserit S. Amrosius, in c. XIII. Luca: *Corona de spinis*, inquit, *capiti Domini annexa ostendit, quod de peccatoribus mundi tanquam sæculi penis triumphali Deo gloria quæreretur*: S. Hilarius in Mattheum: *Peccatorum est aculeus in spinis ex quibus Christo victoriæ corona contexitur*. Similiter Isidorus Pelusiota, l. I. ep. XCV. *Spinea corona*, inquit, *ut victor redimitus est*. Sed quæramus, quomodo victor fuerit, quas meruerit coronas, et quas acceperit.

I. Victorem fuisse Christum audimus ab ipso-met Joan. c. V. *Confidite, ego vici mundum*. Vicit enim primo, dæmonem non modo in deserto tentantem, sed alibi passim homines obsidentem et torquentem; siquidem ipsi cum majestate imperavit, os oclusit: ut homines desereret, potenter mandavit; supplices sibi fecit, quomodo David devicit ursum et leonem, percutiendo eos, et eripiendo illi oves suas. Ad hæc dæmon hoc unum moliebatur, ut Christum concitaret ad se defendendum, et vindictam de Judæis sumendam, vel ut miracula coram Herode ad ostentationem faceret, vel ut saltem

impatientiæ signum aliquod daret, quemadmodum et eo fine vexavit S. Jobum. Adhibuit ergo quidquid eum cruciare poterat, et quæ maxime penetrant, illusiones, sannas, contumelias, derisiones; quibus vel ipse Samson motus est ad sumendam de hostibus vindictam, necnon et David mansuetissimus alioquin ad ulciscendum se de improperio Nabal. Verum Christi erga nos amor hæc omnia superavit. Nam si defendisset, vel miraculo suam divinam majestatem monstrasset, mortem suam impedisset, sicque de salute nostra actum fuisset. Aut enim artes hærens cornibus inter vepres mactandus erat, aut Isaac. Genes. XXII. Vita ipsius erat nostra mors, mors ejus vita nostra. Hoc spectat, quod S. Athanasius, in serm. de cruce et pass. scribit:

«Miraculum, inquit, novum, et incredibile, quem per ludibrium subsannationemque pulsabant, ei triumphalia addiderunt ornamenta, coccineam chlamydem, coronam spineam, et calamum. Nam tametsi ea, quasi per contumeliam agebant, afficiebatur tamen inde, ut ab eo latenter spoliarentur dæmones. Cum enim sanguine terra per diabolum funestata, et multis undis cruoris esset imbuta, et ubique spinæ ob execrationem miscerentur, et hoc chirographum nactus inimicus noster omnes invaderet, et tyrannidem in omnes et subjectos sibi exerceret: ea de causa cum eum omnibus spoliasset Dominus, hoc genere vestimenti indutus ad mortem processit, ut ostenderet victoriam de morte non timere, sed pro nostra salute partem esse. Gestabatque in coccinea chlamyde speciem sanguinis, spinasque in corona et chirographum in calamo: quo instrumento jam olim nos diabolus aeri suo rationibus inscriptos habebat, et una cum morte ista simul demoliretur, et rerum naturam ab illis malis purificaret; et pro spinis lignum vitæ largiretur utendum, et pro sanguine peccatorum, suo sanguine et terram et omnes emundaret. Ideo enim nostrum sanguinem gestans in veste coccinea suum omnino sanguinem in terram profudit. Unde factum est, ut in ea pro spinis bona, et vita repullulasceret.»

Secundo, vicit peccatum, remittendo, exterminando, a se omnem etiam peccati suspicionem amoliendo: quibuscumque etiam sanitatem corporis impertiit, iis et sanitatem animæ, (ut communiter sentiunt) contulit, et quacumque in domo velut amicus receptus fuit, et salutem et gratiam reliquit. Tertio, mortuus, resuscitando mortuos, sanando omnes ægros, ipsam sponte et fortiter amplectendo, eique obviando. Quarto, mundum ejusque pompam, voluptates, honores, opes spernendo, et contemptui expo-